



1621, 1
N
19
DISPUTATIO JURIDICA

DE JURAMENTIS.

Quam

Divino favente Numine

Permissu & Autoritate Magnifici & Nobilissimi
Jctorum Ordinis in SALANA florentissimi

P R Æ S I D E

Magnifico & Consultis. Viro

Dn. DOMINICO ARUMÆO,

Jcto celeberrimo, P. P. Nobiliss. Facult. Juridicæ

Seniore, & p. t. Decano Spectatis. Curie Provincialis

& Scabinatus ibidem Adessore dignissimo,

Favitore & Præceptore suo æternum suspiciendo.

Publicæ disquisitioni subjicit

PHILIPPUS SIGISMUNDUS GRU-

BENHAGEN VERDA-SAXO.


Ad diem 21. April. hor. mat. in Auditorio Jctorum.



F E N Æ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

Anno 1621,



*Reverendissimis, Magnificis, Gene-
rosis & Strenuis Viris,*

**Dn. DECANO, SENIORI,
CÆTERISQUE CATHEDRALIS
ECCLESIAE VERDENSIS DNN. CAPITU-
LARIBUS; UT ET REVERENDISS.
EJUSDEM CAPITULI AMPLISS.
ET CONSULTISS.
SYNDICO.**

*Dominis & Meccenatibus suis omni, quâ potest,
observantiâ prosequendis,*


Disputationem hanc

Ulterioris favoris eliciendi gratiâ

Officiosissimè

Inscribit

Autor & Respondens.



T H E S I S I.



Materiam Juramentorum brevibus, cum Deo, nec adeò multis thesibus, uberiores alii relinquentes tractationem, inclusuri, non operæ pretium putamus, multa de ejus difficultate, necessitate & utilitate præmittere: nemo enim ea ignorat, & in progressu fient manifestiora, ut ita, quod ajunt, vino vendibili non opus sit suspensâ hederâ.

II.

Antequam verò ad ipsam rem nos accingamus decidenda venit quæstio; *Num sc. jurare licitum sit?* Plurimi enim homines, præsertim superstitiosi, quos nescio quæ religio absterret, omninò sibi persuadent, ab omni juramento abstinendum nobis esse. His ut initio occurramus, quid in hac quæstione statuendum, paucis aperiemus.

III.

Affirmantium verò sententiam amplectimur, nitentes & juris tam divini quàm humani approbatione, & certis rationibus. Juris Divini dicta invenire licet *Deut. 6. v. 13. & 10. v. 20. Lev. 19. v. 12. Matth. 5. v. 33. & seqq.* quem tamen locum pro contrariâ opinione allegare non verentur, cum nihil minùs probet, ut in conflictu patebit. Adjunge *Hebr. 6. v. 16. & seq.* Exempla pete ex *Jesai. 45. v. 23. Apocal. 10. v. 6. Rom. 14. vers. 11.* & plura alia in aliis locis, quæ omnia recensere, nostri instituti ratio jam non patitur.

IV.

De Jure Civili & Canonico idem nemini dubium esse potest,

est, qui modò, quæ in iis de hac materiâ habentur, perlegerit, dummodò ob rem licitam, honestam, & possibilem interponatur, l. 5. C. de legib. auth. quod eis. C. de Nupt. nec obviet libertati Ecclesiasticæ, c. 1. de jurejur. in 6. c. 28. de jurejur. c. 6. de R. J. in 6. ne fiat vinculum iniquitatis d. c. 1. & c. 58. de R. J. in 6.

V.

Quod in Jure Feudali personæ juramento adstringantur, patescet ex lib. 2. Feud. tit. 5. Imò & de Jure Novissimo jurare non prohibemur. Vacante enim Imperio, Electores peractis aliis necessariis jurare tenentur. Et primùm quidem Moguntinus: deinde idem exigit à cæteris Electoribus secundum formam in Aurea Bulla cap. 2. num. 2. præscriptam. Ampliſſ. & Consultiſſ. Dn. D. Arumæ. in discurs. 2. ad Aur. Bull. th. 7. & 8. Reink. in tr. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. class. 3. c. 3. n. 26. & seq.

VI.

Ipse Imperator quoque, postquam electus est, in certa capita & conditiones jurare tenetur, ut videre est apud Reink. d. tract. lib. 1. class. 3. c. 9. num. 1. & seqq. Ubi etiam clausulam promissionis Imperatoris perspicere licet. Capitulationis articulos recenset Sleidan. lib. 1. de stat. Relig. & Reip. pag. mihi 26. & 27. Schönborn. lib. 5. Polit. c. 8.

VII.

Non absunt etiam rationes, quæ pro nobis faciunt. Hominum enim perversitas & malitia, quibus alios fallere maxima virtus, suadet ut simplici assertioni fidem non habeamus. Est maximum litium fugiendarum remedium, l. 1. ff. de jurejur. Coercet temeritatem litigantium, l. 1. in pr. C. de jurejur. pr. cal. dand. pr. Inst. de pæn. tem. litig. Deficientibus probationibus supplementum addit, l. 35. gr. ff. de jurejur. l. 3. C. de reb. cred. Et plures alia, quæ cuique obvix esse possunt.

II X.

Cum dictâ igitur limitatione statuimus, juramentum ex foro & hominum conversatione minimè extirpandum, modò & hoc moneamus, non temerè, neq. levi de causa ad id progrediendum esse; Exod. 20. v. 7. Levit. 19. v. 12. Eccles. 23. v. 9. & seqq. 27.

¶ 15. *Duaren. h. c. 1. c. 26. v. sic & juramentum. de jurejur.* Improbamus igitur ea, quæ cum abneant omni Dei fiunt, *Levit. 24. v. 16. Ose. 4. v. 2.* & cum blasphemia sunt conjuncta. Rejicimus etiam eorum mores, qui ne verbum quidem absque divini nominis attestatione proferunt, & alio modo illi cito assertionem suam stabiliant. Ubi verò gloria Dei, proximi utilitas, & ipsa id exigat necessitas, salvâ conscientia juramentum suscipi & præstari posse, rectè statuitur.

IX.

Juramenti variæ existant apud Interpp. definitiones, quas alii examinare possunt. Nobis præ cæteris arridet illa, quæ apud *Cicer. lib. 3. offic. invenitur.* Quod sc. sit affirmatio religiosa. *Duar. h. c. 1. Vult. discept. schol. c. 7. Trentl. p. 1. disp. 21. th. 1. Obrecht. de jur. sal. c. 1. num. 7.* Nec movemur eo, quod etiam super negatione juramentum præstari possit: Juramentum enim diversum esse ab eo, super quo juramus, habetur apud *Backo. in Not. ad Trentl. d. loc. lit. A.*

X.

Distributio non minùs divexata est, adeò ut quidam Interpretes obscurasse potiùs quàm utiliter eam tractasse videantur. Omnium commodiorem agnoscimus, quæ legitur apud *Duaren. Vult. Trentl. dd. loco.* Quod sc. vel ob causam non controversam, vel controversam interveniat.

XI.

Non tamen prætereundum, nos non tantum de iis juramentis acturos hoc in loco, quæ sunt juris civilis, sed vel maximè etiam de iis, quæ jure Canonico sunt introducta & confirmata. Non enim ignoramus, vix ac ne vix quidem vel unicam legem in *ff. & C. de jurejur.* reperiri, in quâ de jurejurando ob causam non controversam interposito tractetur. Imò patet ex *l. 1. ff. h.* quod sit maximum litium expediendarum remedium. Lis autem nulla esse potest, quæ non sit controversa, quamvis non è contra omnes res controversa sit lis. Tum enim propriè lis dicitur, cum ad jus vel judicium est deventum. *Vult. d. loc.*

A 3

Jura-

XII.

Juramenti igitur illius nulla in jure Civili habetur ratio: si enim apponatur actui per se valido, non confirmat eum, cum quod per se firmum, non indigeat stabilimento. Actus verò per se nullus, etiamsi juramentum sit additum, eò non sustinetur, *l. 5. C. de ll.* Excipitur casus ille, quando sc. libertus patrono suo operas, donum, munus juramento promittit & pollicetur, ex eo enim obligatio contrahitur, per *l. 7. pr. §. 2. & 3. ff. de oper. libert. l. ult. pr. §. 1. & 2. ff. de liber. caus. l. 13. pr. ff. de acceptil.* Quæ ergò de jure Civili sunt incognita, ex jure Canonico addenda erunt.

XIII.

Quod ob causam non controversam interponitur, vel eò tendit, ut actus, quibus adjicitur, confirmet, vel ut personas fide astringat. Illud apponitur ut plurimum conventionibus; quæ vel sunt validæ, & robur iis addit, vel invalidæ, & distinguimus. Dicuntur invalidæ vel propter objectum, quod turpe est, vel propter solenne & essentielle quoddam omissum, vel ob solam personæ conditionem. Deinde vel invalidæ sunt jure naturæ, gentium aut canonum, vel mero jure civili. *Bachov. in Not. ad Treutl. p. 1. disp. 21. th. 2. lit. B.* Notandum etiam ex eodem, quod aut quærat de actus alicujus confirmatione ex eodem jure proveniente, quo est invalidus; vel ex alio jure diverso, cui tamen potestas alteri derogandi non denegatur.

XIV.

Quæcunque conventiones ex se & jure nat. & gent. sunt turpes, juramento corroborari nequeunt, *argum. c. 1. de jurejur. in 6. c. 58. de R. 7. in 6.* Si quæ dantur solâ juris Civilis dispositione turpes, & iis accesserit juramentum, servandum omninò propter juris Canonici autoritatem, quam hac in materia præferimus; quæ enim absque dispendio salutis servari possunt, ob juris positivi prohibitionem non retractentur, *argum. c. 28. de jurejur. c. 2. de jurejur. in 6. c. 2. de pact. in 6.*

XV.

Ob essentielle & solenne præteritum, nisi in sacris literis expressè

pressè requiratur, adeò ut absque peccato omitti nequeat, nec principaliter vergat in detrimentum utilitatis publicæ, actum juramento munitum non rescindi debere, omninò existimem. *Questio* hic moveri potest, *An matrimonium absq; consensu parentum initum, ob parentum neglectam approbationē resolvi possit?* Ad quam directè respondere difficile erit, antequam constet, *num consensus parentum conjugium præcedere debeat.* Quod affirmamus rejicientes eorum opinionem, qui honestatis tantum gratia eum intervenire statuunt.

XVI.

De jure naturæ res liquida est. Natura enim liberos in potestate parentum constituit, *pr. Inst. de Nupt* ex qua sese eximere, nisi contra naturam procedant, non possunt, *Arnise. de jur. connub. c. 3. sect. 10. num. 9. & 25.* Jus civile non minùs affirmat nostram sententiam: Patet enim id ex *d. pr. Inst. de Nupt. l. 2. 3. 16. §. 1. l. 18. 35. ff. de R. N. l. 1. ff. de obseq. par. l. 11. ff. de stat. Hom.* Quàmvis si injurià uxores ducere, vel nubere prohibuerint, cogantur in matrimonium eos collocare, *l. 19. ff. de R. N.* Imò & permittitur filix, si distulerit parens eam marito adjungere, & ad 25. ætatis annum pervenerit, absque ejus consensu sibi maritum quærere, *Novell. 115. c. 3. §. 11. v. si vero usq.*

XVII.

In jure Canonico contrarii canones esse videntur. Adfirmant *c. non omnes. 32. q. 4. c. nostrates. 30. q. 5. c. aliter. ibidem.* Negare putantur *c. sufficiat. 27. q. 2. c. 14. 23. 26. de sponsal. c. 6. de Rapt.* Omnes vero pro nostra opinione facere, nec sibi contrariari omninò existimem. Nullo enim negotio conciliari possunt, ut videre est *apud Arnise. de jur. connub. cap. 3. sect. 10. numer. 19. & sequentibus.*

XVIII.

Ponamus vero, juxta Canonès liberos absque parentum consensu sibi uxores assumere posse; & constet, Pontificium jus in causis matrimonialibus Cæsareo derogare, *secund. c. fin. de secund. nupt.* Juri tamen divino & naturali præjudicare non potest. Quod autem in jure divino permittatur parentibus filios &

associare, quibus visum fuerit, videre licet ex *Exod. 22. v. 16. Deut. 7. v. 3. & 4. Exod. 34. v. 16. Hierem. 29. v. 6. Syrac. 7. v. 27. 1. Corinth. 7. v. 36.* Exempla habebis plurima, sufficere nobis pro tempore illud, quod *Jud. 21. v. 7.* legitur.

XIX.

Ex quibus (ut tandem ad quaestionem revertamur) sequi omnino videtur, matrimonium absque parentum comprobatione contractum, etiamsi juramentum praestitum sit, si non superveniat rati habitio, dissolvendum esse. Nos tamen his omnibus omissis, in favorem matrimonii, & ne manifesta perjury occasio detur, atque ita anima periclitetur, concludimus, non esse ejusmodi disjungendos, praesertim si honestis sese adjunxerint. Expressè enim istud in sacris literis non injungi, sed tantum permitti parentibus talem potestatem, puto, cum è contrariò *Deut. 6. v. 13. c. 5. v. 11.* severè praecipitur, ut juramentum praestitum strictè observetur. *Fac. Psal. 14. v. 4.*

XX.

Quae ob solam personae conditionem sunt invalidae conventiones, adhibito juramento stabiles permaneant, *auth. sacramenta. C. si adv. vend.* modò persona vim juramenti non ignoret, *argum. l. 26. pr. ff. h. nec praestetur contra leges perpetuam prohibitionis causam habentes, Gail. 2. observ. 39. num. 16.* Quae in hoc vel illo jure sunt prohibita, quin ex alio, praesertim ob juramentum additum, admitti possint, nullum est dubium, modò non curant contra jus naturae & publicum commodum. Exemplo sit donatio excedens 500. solidos, non insinuata actis intervenientibus, quae non subsistit de jure civili *l. 36 §. fin. C. de donat.* cum tamen de jure Canonum firma sit, ob juramentum praesertim, ut affirmat *Gail. d. observ. num. 12. Bachov. in not. ad Treutler. h. th. 2. lit. B.*

XXI.

Juramenti illius, quod personas fide astringit, exempla sunt, *juramentum subjectionis*, quod praestatur à subditis vel in pace vel in militia: *fidelitatis*, à vasallo. *lib. 2. Feud. t. 5. Vult. d. c. 7. Trentl. 2. lit. c.* Huc refertur etiam juramentum *Adsecurationis* *Erbs huldigungs*

HuldigungsPflicht/ ut habetur ap. Setf. de Juram. lib. 1. cap. 3. num. 70
ubi & in seqq. plures hujus juramenti species enumerat.

XXII.

Antequam verò ad Jusjurandum ob causam controversam interpositum nos conferamus, quæstionem illam videre non abs re videtur. Num juramentum metu extortum valere possit? De Jure civili subsistere, iam certum non videtur, sed Prætoris auxilio opus esse, l. 1. ff. quod met. caus. Duar. h. c. ult. Bach. d. loc. lit. C. Si de Jure Canon. quæramus certum est, quod non obliget. Sed num semper talis absolvendus? Distingue: aut præstitum est super actu Jure licito aut illicito: Gail. 2. O. 42. n. 4. & 5. Bach. d. loc. Si super actu Jure licito, tenetur quidem, sed gratia ei facienda, c. 15. c. 8. de Jurejur. c. 2. de h. que met. caus. Duar. h. c. ult. Gail. d. O. 42. num. 6. Bachov. d. loc. Si super actu Jure illicito, subdistinguiamus cum Bach. quod vel sit illicitus Jure tantum civili & absolutione indigebit, vel simul Jure nat. & gent. illicitus sit. & non obligatur c. 22. q. 4. fere per tot. etiam citra absolutionem, Gail. & Bach. dd. locc.

XXIII.

Hinc cuique obviam, quid de eo statuendum qui latroni pro vita redimenda pecuniam sub juramento promisit. It. qui à latronibus dimissus, se eos non proditurum, jurans pollicitus est. Illic enim absolutio requiritur; hic nullo modo. Qui hosti promissionem rei licitæ factam juramento firmat, servare tenetur, Hott. in qq. ill. q. 7. Duar. ad l. 1. ff. de pact. Num incarceratus contra promissionem de non vindicandâ injuriâ factam & juramento corroboratam, quam vulgò die *Brphedt* vocant, venire potest? Neg. Vid. Setf. de Juram. lib. 1. c. 21. num. 11. Sed quæstionis est, An etiam juramenti relaxatio competat politico Magistratui? quod affirmamus per l. fin. pr. ff. ad municip. l. fin. ff. qui satisd. cog. l. fin. ff. de re mil. l. 6. §. ult. ff. de Jur. patron. Mynsing. cent. 3. O. 99. Gail. 1. O. 25. Setf. de Tr. lib. 1. cap. 24. Reyger. in thesaur. Jur. de Jurejur. num. 160.

XXIV.

Jusjurandum ob causam controversam adhibitum dispescitur in id, quod solùm religionem injicit, & in id, quod controversam & litem decidit. Ad illud referimus Juramentum Calumnie & Testimonij. Treut. d. loc. rb. 3. Purgationis rejicimus ad litem decisoria.

B

Jura-

XXV.

Juramentum calumniae, quod credulitatis est, Schneidew. ad §. 1. Inst. de pæn. tem. litig. num. 3. Rosbach in proc. judic. t. 50. num. 2. præstatur ab utraque parte litigantium de bonitate causæ, quam sese habere existimant Rosb. d. loc. quodque bonâ fide eam sint prosecuturi Treutl. h. th. 3. Estque vel Generale, vel Speciale Rosb. d. t. n. 2. Rittersb. Novel. part. 9. c. 19. n. 4. & 5.

XXVI.

Generale primùm introduxit Justinianus in Novel. 49. cap. 3. §. 1. auth. in isto. C. de Jurejur. propt. cal. Rittershus. d. num. 4. Bachov. in not. ad Treutl. d. loc. th. 3. lit. C. Vid. h. Obrecht. tract. de Jur. cal. c. 3. nu. 12. Cum initio partes jurant, quod in toto negotio nihil calumniosè acturæ sint, auth. hoc sacramentum. C. de Juram. propt. cal. Rosb. d. loc. num. 3. Speciale in singulis judicij partibus exigi poterat, l. 1. C. de Jur. prop. calum. Rosb. Rittersb. dd. loc.

XXVII.

Ab ipsis autem principalibus hoc præstandum, l. 2. §. 4. C. d. 7. & quidem in ipso litis primordio, cum nondum inchoata, d. l. 2. §. 9. si verò omissum, etiam post litem contestatam, & post præstitas judiciales cautelas, si modò utraq; persona in eodem territorio versetur, exigi potest. d. §. 9. Bachov. h. th. 3. lit. C. An etiam per procuratorem præstari potest? In d. l. 2. §. 3. videtur quidem Justin. concessisse id procuratori Rei, sed per seq. §. 4. res redditur manifestior. Ut ita cum Bachov. h. th. 4. lit. D. concludere non detrectamus, de Jure civili per procuratorem hoc juramentum præstari non posse. Obrecht. d. 17. c. 6. num. 12. Secus de Jure Canon. pro causæ & personarum qualitate, c. 3. 6 & 7. de Juram. calum. modo & speciale ad hoc mandatum habeat c. fin. de Juram. calum. in 6. Gail. 1. O. 83. num. 2. Rittershus. d. loc. num. 8. Mozl. tr. de Mandat. t. d. divis. mand. num. 33. Quamvis & pro sua persona teneatur jurare l. 2. in pr. C. d. 1. Tutores & curatores idem præstant in causis quas agunt, auth. principales §. fin. C. d. 1.

XXIIX.

In omnibus autem causis admittitur hoc juramentum, l. 1. & 2. in pr. C. h. t. Rosb. d. loc. num. 7. Rittershus. num. 11. An etiam in spiritualibus? Adfirmatur per c. 1. de Jur. cal. in 6. quod cap. derogat

gat cap. 2. de Jur. cal. propter Clericorum malitiam, Schneidew. d. loc. num. 7. Bachov. h. th. 4. lit. B. Inter dominum tamen & Vasallum locum non habet, per lib. 2. Feud. t. 32. §. 1. Rosb. d. loc. num. 8. Rittershus. num. 13. An etiam in criminalibus? Accusatori deferri posse, non vero Reo, statuimus cum Obrecht. h. cap. 8. num. 23. & Bachov. thes. 4. lit. A.

XXIX.

Petitur hoc juramentum ab alterutra parte, l. 34. §. 4. ff. h. l. 2. §. 4. C. de Jur. cal. & nisi petatur, Judex exigere non cogitur, Schneidew. d. loc. num. 5, atque ita si omissum sit, non viciat processum, c. 1. de Jur. cal. in 6. Gail. lib. 1. O. 82. num. 2. cum seq. Rittershus. h. num. 15. Quamvis de Jure civili forsitan aliud dicendum sit per l. 2. §. 4. C. h. t. Schneidew. d. num. 5. Wesenbec h. num. 5. Obrecht. de Jur. cal. cap. 11. n. 8. & seqq. Ex actum & non præstitum reddit processum nullum, per Dd. allegat. & Sers. de Juram. lib. 3. c. 8. num. 12. quod tamen in Camera non observari, testatur Gail. l. O. 42. num. 1. modò aliàs de meritis causis sufficienter & liquidò constet. An verò consuetudine vel statuto remitti possit, disputant Dd. Quod possit patet, cum Jure Saxon. remissum sit, testantib. Schneid. d. loc. n. 15. Wesenb. h. in Parat. num. 5. & 13. Rittershus. num. 16. Sed dices, hoc de facto non de Jure introductum, præsertim cum absque ulla ratione ita constitutum sit, adeò ut Diabolicam consuetudinem vocaverit Hen. Gøden. in proc. judic. agente Treut. h. th. 3. lit. C. Respondemus; Non de esse rationes quæ hujus juramenti antiquationem suaserunt, quas videre licet ap. Dd. præsertim Bach. h. th. 3. lit. C. Aliàs non negamus de Jure Canon. etiam tale quid consuetudine introduci non posse per c. 5. de Jurejur. calum. c. 3. de Fidejuss. Vid. Gail. l. O. 85.

XXX.

Parentibus & patronis, non vero aliis, l. 2. §. 4. C. h. t. neque expressè, neque tacitè, Obrecht. h. cap. 11. num. 6. & seqq. remittitur, l. 16. ff. h. l. 8. §. 5. ff. q. sacros. cog. l. 13. §. 14. ff. de damn. inf. l. 7. §. 3. ff. de obseq. par. & patr. prest. Rittershus. h. num. 10. Nec obstare autumo l. 34. §. 4. ff. h. præterquam enim quod Dd. in lectura hujus §. variant, Obrecht. d. loc. c. 5. num. 17. & seqq. Dn. Arum. disp. 11. Pandect. th. 9. aliam non inconvenientem, ut sanè videtur, adfert conciliationem. Clnus Mejer, in Colleg. Argent. p. 1. lib. 12. t. 2. th. 16.

XXXI.

Pœna de calumnia jurare recusantis habetur in *auth. principales*. § *pen. C. d. Jur. propt. cal.* quod scilicet actor cadat actione, reus pro confesso habeatur, l. 2. §. 6. & 7. *C. d. t. c. fin. de jur. calum.* Exceptionem addit *Gail. l. O. 84 num. 7.* ut & *Seis. de juram. lib. 3. c. 8.* Adji-
cit aliam *Rittersh. d. loc. n. 17.*

XXXII.

Affine huic est juramentum malitiæ, introductum à Ponti-
ficibus, ut patet ex *c. 2. §. ult. de jur. calum. in 6. Bach. b. 1h. 4. lit. G.* po-
test à partibus iudex illud exigere, quoties ei visum fuerit, per *d.*
c. 2. Schneid. b. n. 12. Speciali tamen juramento calumniæ affine tan-
tum esse, notandum venit.

XXXIII.

Testimonij juramentum veritatis est, *Gail. l. O. 101. num. 2.* præ-
statur ab iis, qui testimonij dicendi causa in iudicium sunt vocati,
ut sc. antequam perhibeant testimonium, de veritate dicenda fi-
dem partibus faciant, l. 9. *C. de test. c. 5. de testib. & attestat.* Parte verò
præsente deponant, *auth. sed & si. C. de testib. l. 18. C. de fid. instrum.*
adeò ut si citatio adversarii fuerit ommissa, quod gestum pro nullo
putetur. *c. 2. de test. & attest.* Si tamen venire recuset, perinde, at-
que si præsens adesset, attestationses recipi poterunt, *d. auth. sed et si*
C. de test. d. c. 2. de testib.

XXXIV.

Cogi verò, qui potest ad hoc iusjurandum subeundem, l. 16.
19. *pr. C. de test. sive causa sit criminalis sive pecuniaria, d. l. 16. l. 1. §. 1.*
ff. de test. l. 2. de test. cog. vel non. Excipiuntur, qui legibus prohibentur
ad testimonium cogi, l. 16. *C. de testib. l. 4. §. 8. 19. ff. eod.*

XXXV.

Quamvis autem hoc juramentum dicatur esse de substan-
tiâ testium *Gail. l. O. 101. num. 1.* quod tamen partium consensu re-
mitti possit, adfirmat *Gail. d. loc. n. 2. per c. 39. de testib. Mynsing. cent. 30.*
Obs. 80. num. 6. Gail. verò d. loc. num. 5. addit, quod iudex, si ei con-
sultum visum fuerit, non obstante remissione, testi deferre illud
possit.

XXXVI.

Obiter hic adtingere lubet, *Num. si quis, se secreta non revelat*
JURAM.

jurum iuramento affirmaverit, & postea veritatis dicendae causa adhibeatur, excusare se propter prestitum iuramentum possit? Deciditur à Gail. l. O. 100. num. 3. & 4. ubi id negat, cum testimonium perhibere sit publicum munus & necessarium l. 1. pr. ff. de test. c. quanquam. 14. q. 2. & qui veritatem celat, peccet mortaliter, c. quisquis 80. c. 11. q. 3. atq; ita dictum iuramentum sit contra bonos mores, nec ideo obligatorium c. 58. de R. I. in 6. Setf. lib. 1. c. 17. n. 20. & 21.

XXXVII.

Litis decisorium aut litis solùm decidendae gratia intervenit, aut eius etiam aestimandae causa. Rosbach. in proc. iudic. t. 66. num. 1. Hoc vocatur iuramentum in litem. Illud duplex statuimus, iudiciale & Extrajudiciale, arg. l. 17. pr. l. 28. § ult. ff. h. t. Extrajudiciale voluntariam dici potest; semper enim ex conventionione, ut habetur in d. l. 17. parti extra iudicium à parte deferretur, Schneid. ad §. 11. Inst. d. Act. n. 9. Treuth. b. th. 6.

XXXIIX.

Deferenti referri nequit, l. 17. pr. ff. h. voluntariè deferretur, & voluntariè suscipitur; quod igitur semel placuit, amplius displicere non potest, c. 21. de R. I. in 6. Et quae antea merè facultatis erant, ex post facto redduntur necessitatis, ubi sc. in sese quis recipit, arg. l. 17. §. 3. ff. commod. l. 5. C. de O. & A. §. 11. Inst. de mandat. Remitti potest iurare volenti, l. 9. §. 1. ff. h. l. 1. C. eod. Non tamen perjurio detecto retractare conceditur l. 31. in fin. ff. h. l. 1. C. eod. nisi nominatim de eo sit conventum, d. l. 1. Excipe etiam hic casum l. ult. C. h. t.

XXXIX.

Num revocari potest? Negandum puto: cum enim ex conventionione sit susceptum, atque ita suscipienti jus quoddam questum, ipsi invito auferri iure non posse videtur. Bachov. b. th. 8. lit. C. Quari hic etiam potest si uterq; & actor & reus iuraverit, cuiusnam prior sit habenda ratio? Et respondetur ex l. 28. §. fin. ff. h. quod ejus qui posterius iuravit. Duar. h. c. 22.

XL.

Deferre hoc iuramentum quidam prohibentur natura, ut pupillus, l. 17. §. 1. ff. h. arg. §. 9. Inst. de inutil. stipul. l. 5. 189. ff. de R. I. tutore verò autore admittitur, per dd. h. imò etiam absque ejus auctori-

tate, sed sine effectu, ut patet ex d. l. 17. §. 1. ff. h. Furiosus, l. 5. 40. ff. de R. I. & similes. Quidam lege, ut prodigus, l. 35. §. 1. ff. h. sed curator ejus si deferat, ratum est habendum, l. 17. §. 2. ff. h. Sed quid de minore, Jan sine autoritate curatoris deferre potest? Adfirmandum per l. 9. §. 4. ff. h. l. 101. ff. de V. O. Filiusfam. in re patris sine mandato prohibetur, l. 7. C. h. Nisi in propria causa super bonis, in quibus plenum jus sibi competit, arg. l. 20. 21. 22. ff. h. t. Bachov. h. rh. 7. lit. F. Servo etiam interdictum est, nisi domini jussus præcedat, arg. d. l. 7. C. h. aut peculii administrationem habeat, l. 20. 21. 22. & seq. h. Rosb. 2. 66. num. 12.

XLI.

Procurator quoque, nisi universorum bonorum, aut in rem suam datus, aut speciale mandatum habens, non admittitur, l. 17. §. ult. ff. h. l. 18. eod. Consule h. etiam Meier, in Colleg. Arg. p. 1. lib. 12. t. 2. tb. 7. & 8. Cuius autem deferri potest, cujus etiam ætatis vel sexus sit l. 26. pr. ff. h. Modò sit talis persona, quæ conveniri possit arg. l. 35. §. ult. ff. h. Rosb. d. t. n. 13. nec jurare prohibeatur, ut infans & infantia proximus, arg. c. 14. 15. 16. c. 12. q. 5. furiosus, l. 5. l. 40. ff. de R. I. mente captus, sive demens, neque curatoris consensu interveniente d. l. 5. Prodigus arg. l. 40. ff. de R. I. l. 6. ff. de V. O. & l. 1. ff. de cur. fur. Videtur etiam dolo extortum ejusmodi juramentum: qui enim contra jura contrahit, dicitur esse in malâ fide, c. 82. de R. I. in 6. Ebrius jurans non tenetur servare, arg. c. 35. & 6. dist. 35. c. sanctus 15. q. 1. c. 14. de vit. & honest. cler. c. unusquisq. 22. q. 4. Intellige tamen de eo ebrio qui omni ratione & judicio destituitur. Idem dicimus de Irato, arg. l. 2. C. ad l. lul. Majest. l. 2. C. de reb. cred. modò pro iracundia ratione uti omnino nequeat. Fac. huc. l. 48. ff. de R. I. c. si quis iratus. 2. q. 3.

XLII.

Judiciale vel à parte in iudicio iudice approbante defertur, vel à iudice ipso. Illud vulgò iudiciale vocant hoc necessarium. Judiciale, in specie sic dictum, nisi iusta recusandi causa sit, l. 12 §. 2. cir. fin. C. h. c. ult. de jurejur. aut subeundum, aut referendum, l. 12 §. 1. C. h. l. 34. pr. l. 38. ff. eod. susceptum omninò præstandum, nisi remittatur, l. 5. §. ult. l. 6. ff. h. vel revocetur, l. 11. C. h.

Justæ

XLIII.

Justæ recusandi causæ sunt plures ap. Dd. aliquot saltem attingere brevibus nobis hac vice sufficiet. Recusandi verò potestas erit, si super facto alieno deferatur, ne anceps perjurium incurramus, l. 11. §. 2. ff. de act. rer. amot. l. 42. ff. de R. 7. l. 4. pr. ff. de in lit. jur. Mynsing. cent. 1. O. 13. de scientia tamen & credulitate super facto defuncti heres jurare tenetur. Schneid. d. loc. num. 89. & seq. Si revocato juramento ad probationes sese cõferat & postea regressum ad juramentum instituere velit, non audietur, sed jure recusabitur, l. 11. C. h. t. Schneid. num. 90. Licitè etiam recusatur, si plenè fuerit intentio probata, c. 2. de probat. vel se probaturum promittat, Schneid. num. 92. Conceditur idem si juramentum calumniæ præstare prius nolit, qui hoc desert, l. 34. §. 4. ff. h. l. 25. §. pen. ff. de probat. l. 11. §. 1. ff. de act. rer. amot. imò remittenti similis est, l. 37. ff. h. Intellige autem prædicta, si fuerit exactum hoc juramentum calumniæ, l. 34. §. 4. ff. h. & quidem deferens recusaverit: referens enim de calumnia jurare non cogitur, per d. l. 34. §. 7. ff. h. Schneid. num. 93. & 94.

XLIV.

An justæ recusandi causa est, si turpis persona, & pejerare alias solita, deferat? Non videtur: licet enim sine periculo referre nequeat, cum adversarius pejerare consueverit, sufficit tamen, quod in ipsius arbitrio sit positum vel jurare, vel referre, juxta l. 34. pr. ff. h. Trentl. th. 9. lit. A. Bach. ibid. Idem dicendum de eo, cui ob deferentis ignorantiam referre jusjurandum denegatur, arg. l. 34. §. 8. ff. h. l. 11. §. pen. & ult. l. 12. ff. de act. rer. amot. Dd. allegati d. loc.

XLV.

Num hoc juramentum Reo deferri potest, et si actor nihil probavit? Maximus hic est Dd. dissensus. Verior videtur affirmativa sententia; cum reo Jus referendi competat, l. 34. pr. l. 38. ff. h. & ad hoc remedium deficientibus aliis probationibus legitimis fugiamus, l. 35. pr. ff. h. c. 2. de probat. Fac. l. 12. pr. C. de reb. cred. l. fin. v. cum ipse sibi. C. de fideicom. l. fin. §. 10. C. de jur. de liber. l. 25. §. pen. ff. de probat. Ubi in omnibus causis, in quibus probandi necessitas actori incumbit, juramentum deferre conceditur. Neque ob stare puto l. 4. C. de Edend. c. ult. §. fin. de jurejur. Vid. Schneid. h. num. 21. Duar. h. c. 6. Wesemb.



Wesembei. in Parat. num. 9. Fachin. lib. 1. contr. c. 19. Qui verò deferre possint hoc juramentum, & cui, peti potest *ex th. 40. & 41.* dummodo ut peculiare hic notetur, quod talis debeat esse persona, quæ in iudicio licitè stare possit. 7

XLVI.

Præstitum juramentum ob nova instrumenta reperta non retractatur, *l. 31. ff. h. nec appellandi facultas conceditur, l. 12. § 3. C. b.* Locum habet in omnibus causis civilibus & pecuniariis, imò & in poenali actione civiliter ad poenam pecuniariam intentata, *l. 3. § 1. ff. h. Schneidewin. h. num. 22.* It, in popularibus, modò bonâ fide actum sit *l. 30. § 3. ff. h. Duar. hic c. 9.* An & in criminalibus? Negandum puto: publicæ enim utilitatis ratio exigere videtur, ne huiusmodi causæ juramento decidantur, sed potius apertissimis documentis, per *l. ult. C. de probat.* Nec ullum se reperisse exemplum ap. veteres, quo in casu huiusmodi juramentum fuerit delatum, testatur *Duar. d. c. 9. Rosb. in proc. jud. t. 66. num. 15.* Num in matrimonialibus? Distinguunt *Duar. d. c. 9. & Schneidewin. d. loc. n. 26.* Aut affirmatur matrimonium contractum; & potest deferri; aut negatur, & non conceditur.

XLVII.

Necessarium juramentum duplex facimus: Purgatorium, & Suppletorium. *Schneid. d. loc. num. 30. & seqq.* addit tertiam speciem, Æstimatorium sc. sive juramentum in litem. Quamvis vero negari nequeat, quod & hoc necessitatem in sese contineat, attamen cum & præter id, quod litis decidendæ causa inter ponitur, litem, ut supra dictum, æstimet, nec propriè eam decidat, ut ipse *Schneid. d. loc.* fatetur, sub hoc necessario, de quo jam agimus, & quod litem solùm finit, comprehendi non ita commodè posse, omninò putamus.

XLIX.

Purgationis juramentum à iudice reo aliquò modo suspecto, etiam si actor in probatione defecerit, defertur innocentia suæ ostendendæ causa, *Schneid. d. loc. n. 31. Treut. h. th. 5.* Exempla occurrunt in *l. 6. § 5. C. de his qui ad Eccles. Novell. 124. c. 2. auth. novo iure. C. de pen. jud. q. mal. judic. Novell. 27. c. 3. rot. tit. de purg. canon.* Plura loca apud

apud dictos Dd. invenire licet. Num in omnibus causis hoc juramentum locum sibi vindicet, non immerito quaeritur. In civilibus judicialiter tractatis negantium opinio prevalere videtur ob regulam Iuris, quod, Actore non probante, reus sit absolvendus, ut cunque nihil praestiterit. *Bachov. in not. ad Treutl. h. th. 5. lit. B.* Quamvis si graviores praesumptiones contra reum militent, non absurdè forsàn, Judicis arbitrio hoc relinquendum, dici posset, num actori suppletorium, aut reo purgatorium sit deferendum, *Bachov. ibid.*

XLIX.

In matrimonialibus admittitur matrimonii etiam negandi causa, *per. c. 10. de despons. impub.* quod ut speciale notat *Schneidew. h. num. 32.* quamvis communiter idem hic statuatur, quod supra in judiciali juramento notatū fuit. In criminalibus res liquida est, modò reus levioribus saltem & ad torturam non sufficientibus praesumptionibus gravetur, *Bachov. d. loc.* Idem probat *Mynsing. cent. 2. Obs. 87.* & *Gail. lib. 2. de p. p. c. 7. num. 11.* in crimine fractae pacis; ubi etiam videbis formulam juramenti purgationis usitatam. An & quando hoc juramentum in actione injuriarum à Reo exigì possit, pluribus tractatur à *Gail. 2. Obs. 106.*

L.

Notandum hic, quod etiam post praestitum hoc juramentum, accusatori non possit facultas rei pejurium probandi denegari, *arg. l. 31. ff. h.* Defertur enim à Judice, non à parte, & interest Reip. ne delicta maneant impunita, *Myns. cent. 2. O. 82. Gail. lib. 1. de p. p. c. 7. n. 12. Bach. d. loc.*

LI.

Sequitur jam illud, quod *suppletorium* diximus, & imponitur à Judice parti in dubiis causis, ubi nondum plenè probatū, veritatis explorandae gratia, ut ad sententiam progressus fiat, *Schneid. d. loc. num. 39. Rosb. t. 67. num. 1.* Dicitur necessarium duplici de causa. I. Quod Judex deferre istud cogatur, *l. 3. C. h. Gail. 1. Obs. 108. num. 4. & 5. nec movemur l. 31. ff. h.* Quod enim officii ratio alicui imponit, id maximè necessarium. *arg. c. judicantem. 30. q. 5. c. 37. de test. & l. 9. C. de judic. Bachov. h. th. 10. lit. A.* Adèò ut si intermittat Judex, concedatur parti gravatae jus appellandi, *Schneid. h. num. 40.*

G

II. Dici-

II. Dicitur necessarium, quod à parte parti referri non possit. *per c. fin. de iurejur. Schneidewin. num. 41. Rosb. num. 2. Quamvis de iure civili, aliud forsan sit dicendum, per l. 12. §. 1. C. de reb. cred. Mejer. in Colleg. Arg. p. 1. lib. 12. §. 2. th. 16. n. 3. & th. 11. n. 7.*

LII.

Semi plenè tamen probatum esse oportet, ut per unicum, & tēstem omni exceptione maiorem. *Schneidewin. d. loc. num. 43. Fach. lib. 1. contr. §. 18. Bachov. h. th. 10. lit. A, Diss. Duar. h. c. 30. & 2. disp. 33. qui utrinque pares requirit probationes, ob quas Iudex maximè reddatur dubius, cuiam parti potius sit deferendum. Præterquam enim quod rarò hoc eveniat, nec Icti ad id respicere soleant, quod rarò, sed quod plarumque contingit, l. 3. 4. 5. & 6. ff. de ll. objectionibus etiam Duar. facile occurrere possumus, si iudicis arbitrio, quæ nam sit semi plena probatio, relinquendum dicimus. Bachov. d. loc.*

LIII.

Interim non negamus, quod etiam, si uterque æquè probavit, alterutri deferri possit: sed hic Iudex circumspectus sit, cuiam potius jurandum sit pro qualitate sc. & personæ ignorantia. *Schneidewin. h. num. 45. & 46. Rosb. d. loc. num. 4. & seq. Si enim par sit utriusque conditio, reo potius deferendum censent, quum Rei sint favorabiliores quam actores l. 125. ff. de R. J. l. 38. ff. de Re judis. c. 3. de probat.*

LIV.

In civilibus verò causis tantummodò hoc iuramentum admittimus, nec tamen in omnibus: In arduis enim ut & in matrimonialibus omninò respuimus, cum in his lucidissimæ probationes requirantur: criminalibus enim æquiparantur, secundum *Dd. communiter*, in quibus sc. hoc iuramentum non deferretur, *arg. l. ult. C. de probat. l. 16. C. de penis, Schneidew. num. 44. Mynsing. cent. 1. Obs. 68. num. 4. Rosbach. d. loc. num. 7. Gail. 2. O. 94. qui tamen limitationem in matrimonialibus adicere videtur ibidem §. 12. ut ibi legi potest.*

LV.

Remitti nullo modo potest, Retractatur verò ob nova
instru-

instrumenta reperta, l. 31. ff. b. Ampliſ. Dn. Arum. Præceptor meus ſuffie-
ciend. diſput. 11. Pandect. theſ. 8. Facultas hujus juramenti præſtandi
transit ad heredes modò & illi rei habeant ſcientiam, Bachov. d.
th. 10. lit. G. in ſin. An verò mors defuncti juramenti vicem obti-
net? Affirmat Mynſing. cent. 1. O. 13. & cum eo Gail. lib. 2. O. 43. idque
communi Dd. opinione confirmant; quod tamen dubitatione
vix caret.

LVI.

Reſtat jam Jusjurandum in litem, quod defertur vel ob contu-
maciam & dolum, vel ob ſolum rei interitum poſt ſimplicem culpam vel moe-
ram, l. 1. & 2. ff. de in lit. jur. Illud Adfectionis, hoc Veritatis communi-
ter vocare ſolent. Dn. Arum. d. diſp. th. 10. Judicem vero id deferre,
oportet, l. 4. §. 1. eod. non alium, Bachov. h. theſ. 11. lit. C. Seiſ. de Juram.
lib. 5. c. 3. num. 4. & 5. Non autem hic cum Treut. facimus, quaſi Ju-
dex hoc juramentum ab aſtore præciſè exigere teneatur, nec po-
tius ejus arbitrio committatur: repugnat enim ipſius d. l. 4. §. 2. &
l. 5. §. 1. ff. b. Quamvis & hoc defendi poſſe videatur, quod ſc. Ju-
dex, ſi ipſi de dolo & contumacia rei conſtet, hoc juramentum de-
ferre teneatur. Quod enim æquum eſt, judicem id ſequi oportet.
Non autem eſt æquitati conſentaneum pretio, i. e. quanti
res eſt, litem æſtimari, cum & contumacia veniat puniendâ, l. 8. ff.
h. t. Seiſ. d. c. 3. n. 6.

LVII.

Non defertur niſi illi, qui litis dominus, & litem ſuo nomi-
ne conteſtatus eſt, l. 7. ff. b. Unde pupillus excluditur, quia legiti-
mam perſonam ſtandi in judicio non habet, arg. l. 1. & 2. C. qui legit.
perſ. ſtan. in iudic. & c. Nec obſtat l. 26. in pr. ff. h. t. Ibi enim de judi-
ciali agitur, quod pars adverſa ſciens & volens pupillo defert, at-
que ideo neceſſariò eo contenta eſſe debet. Non etiam matri
pupilli conceditur, l. 4. pr. ff. de lit. jur. Cum tamen mater hodie-
no jure juxta l. ult. C. qn. mul. tut. off. & Novell. 49. c. 2. ad tutelam ad-
mittatur, eodem jure & juramentum hoc ſi velit, præſtare poſſe
ſecund. l. 4. in pr. h. t. exiſtimat Seiſ. lib. 5. c. 4. num. 19. Imò nec tutor
pupilli, nec adulti curator ad id cogi poteſt, ne anceps perjurium
ſubeat, d. l. 4. pr. Si tamen tantam gratiam iisdem facere non de-
ſtreſtat, Jura non refragantur, d. l. 4. l. 2. C. de in lit. jur. Fac. h. l. 17. §. 2.

l. 35. p. ff. de iurejur. Nec obstat l. 7. ff. b. Responderi enim potest ad eam ex l. 27. ff. de admin. & per tut. l. 7. §. 3. ff. pro emptor. l. 56. §. 4. ff. de furt. Adolefcens verò si velit jurare potest. in l. fin. d. pr. l. 4. Rosbach. in tit. 68. num. 5. Procurator non admittitur: quamvis enim litis dominus contestatione ejus efficiatur, non tamen suo nomine eam contestatur, quod maximè requiritur, l. 7. ff. h. Duar. h. de in lit. jur. c. 5. in fin. pag. mibi 876.

LIIIX.

Affectiois juramentum locum potissimum obtinet in iis actionibus, in quibus ad restituendum vel exhibendum agimus, siue realis sit actio, siue personalis siue bonæ fidei siue arbitraria, l. 2. pr. l. 5. pr. ff. h. l. 68. ff. de R. V. l. 1. §. 26. ff. de pos. l. 48. §. 1. ff. commod. l. 18. pr. ff. de dol. mal. An etiam in actione ex empto locum habeat, à mutis in dubium vocatur. Affirmandum putamus, tum quod leges, quæ in contrarium allegari solent, & rationes, quæ adducuntur, nihil minùs probare videantur. Standum igitur tamdiu l. 5. generalitati, donec specialitas illa per legem aliam demonstretur.

LIX.

Num etiam in actionibus Juris stricti? Negant Dd. communiter, arg. l. 5. pr. & §. ult. ff. h. Rosbach. d. t. 68. num. 11. Treutl. th. 12. lit. E. Bach. ibid. Idem statuendum de actionibus contrariis, l. 5. pr. ff. de pos. Defertur autem ob solum dolum rei l. 5. §. 3. ff. h. Non tamen hinc semovetur lata culpa l. 2. in fin. C. in lit. jur. Dn. Arum. disput. 11. Pand. th. 14. utpote quæ dolo æquiparatur, arg. l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod. Duar. h. t. num. 33. Bachov. d. th. lit. E. Nec obstare putamus d. l. 5. §. 3. l. 4. §. ult. ff. h. Intelligendas enim esse de culpa levi & levissima, Duar. d. loc. probat. In omnibus rebus in quas affectio cadere potest, hoc jusjurandum admittitur, Bachov. d. loc. lit. G.

LX.

An à Judice certa quantitas præscribi potest, intra quam actor juret? Adfirmatur per l. 4. §. 2. in fin. h. t. Ne hac occasione in immensum juretur, d. §. 2. Selslib. 5. c. 5. num. 26. Nec obstat l. 68. ff. de R. V. Distinguendum enim videtur inter jurare in infinitum, quod licet, per alleg. 11. & l. 18. pr. ff. de dol. mal. & inter jurare in immensum, quod hoc modo præcavetur. Ampliè. Dn. D. Arum. d. disput. 11. th. 11. Imò potest

test & Judex post præstitum Jusjurandum vel prorsus absolvere,
vel minoris condemnare; verum id ex magna causa, & repertis
post aliis probationibus, d. l. 4. ff. h. Rosbach. tit. 68. num. 13. & seqq.
Nec perjurium actoris tum detegitur, sed refrenatur solum im-
moderata ejus affectio, Schneid. ad §. 23. Inst. de Act. n. 18.

LXI.

Veritatis jusjurandum defectur à Judice, ut dictum, post rei
interitum ob simplicem culpam vel moram, arg. l. 2. §. 1. ff. h. l. 5. §. 4.
ff. eod. Requiritur igitur, ut patet, duo, quo huic locus esse pos-
sit: culpa & mora adversarii, d. l. 5. §. ult. & difficultas probandæ
æstimationis orta ex rei interitu vel ejus deterioratione, Rosbach.
t. 69. n. 6. Serf. lib. 5. c. 5. n. 58.

LXII.

In omnibus autem actionibus, in quibus Judici rem æstima-
re non incumbit, hoc jusjurandum præstari potest. Bachov. h. th.
ult. lit. A. Ideo etiam & quidem potissimum in actionibus stricti
juris, per l. 5. §. ult. ff. h. nec id tamen semper, arg. ejusd. §. & l. subseq. 6.
Nec dubium, quin & in bonæ fidei & arbitrariis actionibus ad-
mittatur, etiamsi contumacia rei intervenerit, cum Actor de
Jure suo remittere possit, & simplici æstimatione contentus
esse.

LXIII.

Præstatur super interesse communi, non quantum adver-
sarius ex affectione æstimare posset, sed quantum revera inter-
fuit, l. 2. §. 1. l. 3. ff. h. Rosbach. d. t. num. 2. & 6. Serf. d. t. num. 55. Æstima-
tur verò tam res principalis, quam id quod interest, arg. d. l. 3. &
l. 21. §. 3. ff. de act. empr. Rosbach. num. 7. Serf. num. 57. Taxatio judicis
interesse, damni vel expensarum semper juramentum actoris
præcedere debet. Schneidewin. in §. 23. Inst. de Act. num. 17. Post præ-
stitum verò jusjurandum taxare judici non permittitur, auth.
post jusjurandum C. de judic. Ne actoris perjurium detegeretur,
Schneid. d. loc. Ubi & formam taxationis judicis videre licet.

LXIV.

Perlustratis ita breviter juramenti speciebus pro instituti
nostri ratione, ad reliqua nos accingentes, ea non minùs brevibus
percurramus. Cum verò in unaquaque specie annotavimus

quibus in rebus interponi possit, item à quo & cuinam deferri queat, de Forma jurisjurandi aliqua adducamus. Constat verò apud antiquos plurimas fuisse formulas jurandi, quas passim ex Autoribus cognoscere licet. Patefiet idem ex l. 3. § ult. l. 45. 13. § ult. l. 38. ff. h. & pluribus aliis. Imprimis de iis formulis tractavit *Briffon. lib. 8. de form. pop. Rom.* multas etiam adfert *Obrecht. de jur. calum. c. 10. num. 6. & seq. Sers. lib. 1. c. 15. num. 23. & seq. Vid. & Schonborn. lib. 2. Polit. c. 21.*

LXV.

Apud Christianos usu olim observatum, ut jurarent per Deum & Sancta Evangelia, seu per verbum Dei, tactis Evangeliiis. ut videmus ex *appendice subjecta Novell. 8.* ubi celebris illa & horrenda jurisjurandi formula legitur; quod ex ignoratione verbi Dei natum dicit *Sers. d. lib. 1. c. 15. num. 7.* Moribus autem nostris per solum Deum juramus, ut expressè præcepit Jehova *Deut. 6. v. 13. & 10. v. 20. Josu. 23. v. 7. Matth. 5. v. 33. Jerem. 5. v. 7. Hebr. 6. v. 13.* Soli enim Deo honor & gloria debetur. Jusjurandum verò est species quædam invocationis & cultus divini, *Wesembec. in Parat. h. num. 6. Rittershus. Novell. p. 9. c. 20. n. 2. & 3.* Possè tamen & sine idololatria sacrosancta Evangelia proponi, & digitis prioribus attingi, asserit *Rittershus. d. loc.* Per creaturam verò minimè permittitur jurare, ut ex dictis sacrae scripturae locis apparet; imprimis verò ex *Matth. 5. v. 33. & seqq.*

LXVI.

Varii quoque ritus fuerunt adhibiti. In sacris jurantibus tribuitur dextrae elevatio ad coelum, ut passim occurrentia exempla planum faciunt; veluti *Esai. 62. v. 8. Apocal. 10. v. 6.* Inferiores etiam suis superioribus juraturi manum dextram famori supposuerunt, ut *Gen. 24. v. 2. Gen. 47. §. 29. 50. v. 5.* Hodiè ac moribus nostræ Germaniæ mares erectis duobus digitis prioribus; feminæ adpositâ ad sinistrum pectus dextra jurare solent coram iudice in loco publico. *Wesemb. in Par. ff. h. num. 6. Sers. de jur. lib. 1. c. 12. in fin. & c. 15. ejusd. lib. 1. n. 8. & seqq.* Execrationes quoque variæ adjiciebantur, ut notat *Sers. d. loco.*

LXVII.

Quid verò de eâ formulâ sentiendum, quam in *Ordinat. Imperæ*

Imper. invenimus; *Ita me Deus juvet, & sanctum eius verbum?* Non caret vitio, nisi intelligamus de Filio Dei, qui est $\theta\lambda\omicron\gamma$ & aeterni patris *Setf. d. c. num. 38*. Quæri hic etiam potest, an si Christiano forsitan cum Mahumetano sit lū exorta, & Christianus ipsi de ferat juramentum, admittendum sit, ut per Mahumetem suum juret? Utilitatis causa susceptum est, ut valeat, quod facile jusjurandum nostrum esset contempturus. *Fac. hac Gen. c. 31. v. 53.*

LXII.

Movetur hic etiam quæstio, *An is verè juret, qui fide sua quid promittit, bey trawen / Ehren vnd Glauben / vel loco jurisjurandi interposita, an Eides stadt?* Affirmant communiter Dd. ut videre est ap. *Gail. lib. 2. O. 59.* & eundem iis tribuunt effectum, quem corporali juramento. Contrarium tamen & multi tenuere, & quidem, ut videtur, rectissime. Non enim fidei interpositione Deo quid promittimus, quod in juramento omninò necessarium. Hæ tamen opiniones diversæ conciliabuntur non inconvenienter, si affirmativam concedamus quoad firmitatem obligationis; sine perfidia enim ei contravenire nemo poterit. Negativam vero quoad perjurium; verè enim pejerasse non dicitur, qui fidem fallit, *Wesemb. h. n. 6. Setf. lib. 1. c. 16. per tot.*

LXIX.

Principum verò & personarum Illustrium promissionem, bey Fürstlichen Trawen vnd Glauben factam juratæ æquipollere, probant *Mynsing. cent. 1. O. 17. in Addit. Gail. d. O. num. 7. & 2.* Quod et si de jure stricto vix possit subsistere, tamen cum in Principibus maximè fides exuberare debeat, ac in iis nihil æquè præfulgeat, atque recta fides, *l. inter claras. v. Nihil est, C. de sum. Trinit.* Principes æquè teneri, ac si corporale præstiterint juramentum, defendi posse videtur. *Setf. d. loc. Vid. Bach. etiam h. t. b. 1. lit. A.*

LXX.

Sed quid de eo dicemus, qui à Magistratu sub juramento, quo ei obstrictus est, ad aliquid revelandum impellitur, si non revelet omnia, an erit perjurus? Non negamus, viro bono maximè convenire, imò ab eo requiri, ut sese Magistratui morigerum præbeat, interim tamen, si minus quis præstet, quod pejeraverit, non equidem dixerim;

rim. Facit pro nobis c. pen. de Jurejur. Vid. Setf. d. c. 16. n. 12. 13. & plenius deinde in fine istius cap.

LXXI.

Jam descendamus ad juramenti Effectus cognoscendos: quos & generales & speciales esse apparebit. Generales omnibus speciebus accommodari possunt, ut sunt, quod jurantem obliget, c. 26. de Jurejur. Quod animæ vinculum injiciat: quod torturam spirituales non servanti infligat: quod sese violator variis pœnis subjiciat, ut colligitur ex l. 23. ff. de dol. l. 17. C. de dignit. l. fin. ff. Stellion. l. 41. C. de transact. & qui sunt reliqui, quos ap. Dd. legere quis potest.

LXXII.

Juramenti, quod actus confirmat, effectus sunt potissimi; quod ætatem supplet; facit enim, ut minor habeatur pro majori, arg. auth. sacramenta, C. si adv. vendit. In dicit ejus actus naturam, cui apponitur, l. fin. C. de non num. pec. l. fin. ff. q. sat. d. cog. c. 23. de Jurejur. Addit robur & ex non efficaci facit efficacem obligationem, modò actus non sit improbatum Jure naturæ & gent. de quo pluribus supra egimus. Operatur etiam, ut actus ille valeat omni meliore modo, quo valere potest l. 77 § 23. ff. de leg. ii. Schneid. in ad §. 11. Inst. de Act. num. 56. Habet vim specialis hypothecæ; imò & vim geminationis. Adjicit forum foro, c. fin. de ser. comp. in 6. Inducit præcisam necessitatem, Schneid. d. loc. n. 54.

LXXIII.

Circa hanc effectum quæri potest, An debitor, si juramento sese adstrinxerit, quod soluturus sit, compensationem objicere possit? Quamvis pro negativa sententia supra dicta facere videantur, & alia etiam textus & rationes adduci possent, quæ eam stabilire videntur, nihilominus tamen affirmativam complectimur, moti l. 76. ff. de V. S. l. 2. C. de compens. l. 2. & 3. ff. de compens. l. 4. ff. q. pot. in pig. l. 4. C. de compens. Fac. huc. etiam c. dolo facit, 59. de R. 7. in 6. Quæ in contrarium adducuntur, nullo negotio dilui posse videntur. Consule, Setf. de Juram. lib. 1. c. 25. n. 100. & seq. Fachin. lib. 1. contr. c. 7.

LXXIV.

Ad effectus quoque pertinet, quod pœnitentiam impediatur, vim habeat interpellationis, Dd. communiter. Veniens contra juramentum

mentum privetur jure suo, l. 41. C. de trans. c. 10. de Jurejur. Licet promissio sine causa alias non valeat, tamen juramento firmata observanda sit. Jurantem se soluturum veter præscriptione uti adversus creditorem. Vide plures ap. Setf. d. lib. 1. c. 25. per tot. qui tamen omnes commodè huc referri nequeunt.

LXXV.

Juramenti calumniæ petiti & non præstiti effectus petere, licet ex th. 31. Præstiti, ut coërceatur litigantium malitia, l. 1. & 2. C. de Jur. propt. cal. dan. Falsò præstiti infra manifesti fient, ubi de pœnâ perjurii tractationem instituemus. Illud, quod testes præstare coguntur, efficit, ut stetur dicto alicujus, cujus alias non staretur, ne veritas occultetur, sed omnibus manifesta reddatur, ut per se patet.

LXXVI.

Extrajudicialis; quod adversus reum, postquam juratum est, planè actori denegetur actio, si modò de eo constet: si verò ambigatur, detur quidem in reum actio, sed exceptione elidatur, l. 9. pr. l. 7. ff. h. §. 4. Inst. de Except. Si verò actor juraverit deferente vel referente reo, actor sibi acquirit actionem, ubi solummodò quaritur, an juratum sit non verò an debeat, l. 5. §. 2. l. 9. §. 1. pen. & ult. l. 24. & pluribus alijs ff. h. t. Continet speciem transactionis & majorem quam res judicata, autoritatem, l. 2. ff. h. vim solutiq. nis, sed ficta, l. 28. §. 1. ff. h. liberat pignus & acceptilationi simile, est, l. 40. ff. h. imò facit, quod à controversia discedatur l. 1. l. 40. ff. h. t.

LXXVII.

Hæc actio autem, quæ ex jure jurando competit, & in factum dicitur, l. 11. §. 1. ff. de Jurejur. l. 8. C. eod. vel etiam utilis, d. l. 11. §. fin. l. 12. §. 1. l. 29. ff. h. non tantum ei datur, qui juravit, sed etiam omnibus successoribus sive rei sive juris l. 7. 8. 9. §. ult. ff. h. Nec obstat l. 3. §. pen. in fin. ff. h. t. Successor enim sive rei sive juris non intelligitur esse alter, sed quantum spectat eam rem, in quam succedit, habetur pro eodem, cui successit. Eidem etiam nocet à defuncto præstitum. Extero verò neque prodesse neque obesse potest: Quod enim inter alios actum, aliis non nocet nec prodest. l. 10. ff. eod.

D

Huic

LXXVIII.

Huic verò assertioni, quod sc. ex jurejurando detur actio, in factum, valdè contrariari videtur, l. 13 §. 3. & 4. ff. h. Ubi dicitur, quod si quis juraverit me ei vendidisse, ex empto; societatem se iniisse, pro socio actionem institui posse, Distin. uendum putò inter juramentum *formiter*, & *informiter* præstitum, & deinde etiam inter actiones *personales* & *reales* cum *Nicas. ad §. 11. Inst. de Act. & Schneid. ad eund. §. num. 60. & seqq.* In personalibus *formiter* præstito juramento, i. e. cum adjectione causæ, ex qua debitor tenetur, datur actio utilis ex eo contractu, d. l. 13. & etiam actio in factum, *secund. Schneid. d. loc.* Aut juratur *informiter*, & competit actio in factum ex jurejurando, de quâ in §. 11. *Inst. de Act.* agitur. In realibus inter *forme* & *informe* non distinguitur, sed actori competit & actio in factum, & utilis in rem. *secund. Dd. allegat.* Aliiter respondet *Bach. h. th. 8. lit. D.* quod sc. actio ista utilis ex empto sit in factum prætoriam, ut ibi videre quis potest. Nihil nobis obloquitur l. 25. §. 1. ff. de const. pecun. ut nec l. 7. §. 7. ff. de publ. in rem act.

LXXIX.

An etiam actio hæc prætoriam datur ex Jurejurando Judiciali? Negandum videtur, cum sententia juramentum subsequatur, l. 34. §. ult. ff. h. atque ita in rem judicatam transeat, ex qua exceptio rei judicatae competit, ut constat ex t. r. ff. de Except. rei jud. quamvis *Wesembec. in Parat. h. num. 9. in fin.* existimet, sententiam de hodierno Jure non subsequi, sed controversiam præstito jurejurando pro decisâ haberi, & litigantes statim à limine judicii removeri: quam nec *Bachov. h. th. 9. lit. E.* improbat *Nicas. d. loc.* adfirmare non veretur, quod, etiam si Judex pronunciaverit, nihilominus hæc actio intentari possit. Nos concludimus, quod hæc actio prætoriam ex Judiciali juramento detur, moti l. 8. C. de reb. cred. l. 56. ff. de Rejudic. Vid. *Mejer. in Colleg. Arg. p. 1. lib. 12. t. 2. th. 27. num. 3.*

LXXX.

Idem etiam effectus, quos extrajudiciali tribuimus, & huc referri possunt, quibus addantur, quod habeat vim litis contestatae, l. 9. §. fin. l. 10. §. fin. ff. h. novationis, delegationis, l. 26. §. fin. ff. h. & alii, quos partim ex supra dictis, ubi de Judiciali egimus, cognoscimus.

cognoscere quis potest, partim etiam ap. Dd. passim eos videre.

LXXXI.

Purgatorium iurandum delatum, sed non praestitum, arguit reum esse in culpa, atque ita poenae ordinariae subiectum. Praestitum liberat à suspicionibus tam juris quam hominum, ut nemini non constet, & ex supra allegat. ubi de hoc tractavimus, evidenter patescit. Suppletorii effectus est, ut actor intentionem suam probet, cum aliae probationes legitimae deficient, atque ita reus condemnetur: reus vero iurans absolvatur. *Set. de Juram. lib. 4. c. 17. n. 1.* Ex hoc non dari actionem in factum, nullam continet dubitationem.

LXXXII

Jurisjurandi in litem effectus non magis enarratione indigent: liquet enim ex superioribus, quod affectionis iuramentum coërceat dolum & contumaciam adversarii: veritatis vero rei perditae veram nobis comparet aestimationem. Tantum igitur & nobis de iuramenti effectibus dictum esse sufficiat.

LXXXIII.

Paucis nunc etiam videbimus de perjurio ejusque poena. Perjurium est mendacium iuramento firmatum, & committitur, quoties quis contra datum iuramentum venit idque volens & sciens, *arg. l. 26. pr. ff. b. c. queritur. v. Episcopus vero, 22. q. 2. c. 3. ead. q.* Juris vero vel facti supina & crassa ignorantia non excusat, *arg. l. 6. §. 3. ff. de jur. & fact. ignor.*

LXXXIV.

Num vero certa poena jure civili in pejerantes constituta est? Certam eam fuisse, affirmari non potest: interim tamen ex *l. 2. C. b. t.* colligere velle absurdum videtur, nullam omnino poenam jus civile praestituisse, cum *d. l. 2.* de casu aliquo peculiari optime accipi possit, imò debeat. *Vid. Ampliss. Dn. D. Arumeum Faut. & Præcept. meum honorandum disp. 11. Pandect. h. t. 7.* In certam vero poenam ratione circumstantiarum leges suppeditant, ut *l. 13. §. fin. ff. b. l. 21. ff. de dol. mal. l. fin. ff. stellion.* Novissimis constitutionibus certa poena casibus quibusdam singularibus expressa est, *l. 41. C. de transact. l. pen. C. de dignit. Novell. 117. c. 11. v. si autem.* Qui vero per capil-

los

los aut membra Christi jurat, vel etiam blasphema verba in Dei contemptum profert, de Jure Canon. per aliquot dies in pane & aqua jejunare cogitur, & septem deinde dies dominicos præforibus Ecclesiæ, & septimo absque pallio & calceis populo sese spectandum præbere, ut patet ex c. fin. de maledict. Si est Clericus, ab ordine removetur: si Læcus, anathematizatur, c. si quis. 10. c. 22. q. 1. De jure civili talis ultimo supplicio adficitur, Novell. 77. §. fin. Idem in Const. crim. Caroli V. c. 106. Adde Reces. Imp. Wormar. Anno 1495. & Colon. Anno 1512.

LXXXV.

De Jure Canon, perjurus alias fit infamis, c. infames. 17. c. 6. q. 1. à testimonio repellitur, c. 18. ead. q. ad dignitatem non evehitur, c. 87. de R. J. in 6. Adde & c. parvuli. 22. q. 5. Ex constit. crimin. c. 107. & 108. pejeranti duo priores digiti præciduntur. Vide de his pluribus Schneid. ad §. 11. Inst. de Act. num. 117. & seqq. usq. ad fin. Setf. lib. 1. c. ult. per tot. Eund. & lib. 3. c. 8. num. 22. Hæc ita pro nostro instituto sufficiant.



Corollaria.

An Mutus jurare possit? A.

Num Princeps superiorem recognoscens per metum tyranno aut potentiori se dedens, fidelitatem ei jurans, teneatur juramento, & rebellis dici possit? N.

An amans juramentum quod amasia præstitit, servare cogendus sit? D.

F I N I S.

ULB Halle

3


006 608 973




Mus R+M

V077







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



1621, 1

19

RIDICA

R A-

TIS.

amine

ifici & Nobilissimi
florentissima

E
l. Viro

ARUMÆO,

is. Facult. Juridicæ

Curia Provincialis

e dignissimo,
num suspiciendo.

ojicit

NDUS GRU-

A-SAXO.

ditorio 7ctorum.

EIDNERI.

89

20.

